



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 177. Quandonam & quibus modis imponatur pensio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

§. III. Si tractu temporis diminuti sunt fructus, 1135  
 potest Episcopus, nisi specialiter prohibeatur, reduce-  
 re pensionem ad debitam quantitatem, etiamsi pen-  
 sio sit imposita à Papa: si à successore resignatarij  
 petatur reductio pensionis constitutæ à Papa, Episco-  
 pus reducere non potest, nisi ex commissione Pa-  
 pæ, *Gamb. Garc.* Excipe, nisi consentiret Pensiona-  
 rius, cum solâ ejus voluntate diminui possit pen-  
 sio, nisi expressè aliter statuatur, *Gig. Corr. Lott.*  
*Leur. q. 492.* Interea autem, dum petitur reductio  
 pensionis hæctenus solutæ, debet integrè solvi, *Lott.*  
*Luca, Leur. q. 493.*

Q. 177. *Quandonam, & quibus modis im-* 1136  
*ponatur pensio. R.*

§. I. Communiter imponitur in collatione be-  
 neficii, potestque etiam fieri post illam, *Az.*: sed  
 si Episcopus imponat, *Laym.* dicit fieri debere ante  
 collationem, *Leur. p. 3. q. 494.* Et quia accipientes be-  
 neficium sæpe consentiebant impositioni pensionis,  
 quam non solverent ipsi, sed eorum successores, adjici  
 solet decretum, ut ab initio quotannis solvatur pen-  
 sio, alioquin impositio sit irrita, debetque per instru-  
 menta Notarii & testium probari solutiones singu-  
 lis annis à prædecessore esse factas, *Barb. Tond. Corr.*  
*Luca, Leur. q. 495. & 569.*

§. II. Scriptura non requiritur ad valorem pen- 1137  
 sionis, sed tantum ad probationem, *Gig. Gonz. Lott.*  
*Luca, Leur. q. 496.*; prohibetur tamen exactio pen-  
 sionis ante expeditionem literarum, uti dicitur  
 n. 1168.

§. III. *Azor* putat esse simoniam, si Episcopus 1138  
 alicui reservet pensionem sub conditione, ut eam  
 dimittat, quando beneficium obtinuerit, quia vide-  
 tur promittere beneficium sub conditione pensionis  
 dimittendæ, sed meritò contradicit *Leur. q. 498.*,

nam non ideo promittit beneficium, & pensio potest constitui pro tempore, quo pensionarius indigebit.

1139 §. IV. Potest à Papa imponi pensio cum clausula, ut solvatur etiam ante obtentam possessionem beneficii, & quamvis nulli perciperentur fructus, quia in hoc consentire potest beneficiandus ob spem beneficii & fructuum, *Gig. Paris. Az. Fib. Leur. q. 499.*, quem vide etiam q. 545. n. 2.

1140 §. V. Si pensio uni constituatur in pluribus beneficiis, non censetur imposita singulis in solidum, sed pro rata & proportionem ad beneficiorum fructus, è quibus quantitas alimentationi destinata constari debet, *Cap. Constitutus, de relig. domib. Paris. Corr. Lott. Ventrig Leur. q. 501. & 566.*

1141 Q. 178. *Quibus personis reservari vel constitui possit pensio Ecclesiastica. R.*

§. I. Pensio à solo Papa reservari potest personæ incertæ & non nominatæ, *Tond. Leur. p. 3. q. 500.* Etiam solus Papa dispensare potest cum Episcopo, ut sit capax pensionis, *Corr. Leur. q. 531.* Item ut promotus ad Episcopatum retineat pensiones ante habitas, *Leur. q. 586.*

1142 §. II. Quamvis aliquis sit incapax beneficii, tamen *Gonz. Gamb. Garc. Lott.* dicunt posse esse capax pensionis super beneficio, hinc docent *Suar.* & alii communiter inhabilitatum ad beneficia, saltem per sententiam hominis, non ideo esse inhabilitatum ad pensiones, quia poenæ non extenduntur: Putant tamen *Nav. Sanch. Zerol. Barb. Castrop. Ventrig.* : jure ipso vel lege inhabilitatum ad beneficia, etiam esse inhabilitatum ad pensionem saltem respondentem tali beneficio, ad quod inhabilis est, uti exponit *Leur. q. 510.* Similiter dicunt *Covarr. Bal-del. Salz. Barb.*, si per legem vel privilegium in aliquo regno exteri sint incapaces beneficiorum, etiam